

MEN. Musa mihi versus memora, & mihi fugre vires.
Ut sator exoptat, messem vel vinitor tuas,
Aridaque irriguum fontem sata, prataque rorem:
Sic noua nupta sit socialis gaudia lecti,
Et tenero bis terrapere oscula dulcia lusu.
Dicite Iō iuuenes & Iō geminate puellæ.

DAPH. Lusus amat thalamos, & amat sua ludrica lectū,
Lis thalamis aliena, & habet sua gaudia lectus,
Fert pacem thalamus cultus, fert culcitra somnum.
Somne Iō, pax dulcis, Iō caritate puellæ.

MEN. Noster, quid sit amor, iam demum sentit Iolas,
Quid sit amor, quid hymen, quid sint connubia sentit.
Dicite Iō iuuenes, & Iō geminate puellæ.
Oscula Iō, amplexus Iō, cantate puellæ.

DAPH. Huc agite ô Dryades, vosque ô bona Oreades, & nunc
Mecum agitate pares choreas, & fingite versus.
Hesperus aduenit chari celebrator amoris,
Qui pulchros lusus & dulcia gaudia monstrat.
Dicite Iō iuuenes, & Iō geminate puellæ.

MEN. O Dryades, florumque Deæ Nymphæque decentes,
Et nemorum Sylvane pater, mihi suggere Versus.
Spotifus, amor quid sit, tenet, atque amat, atque adama-
Ac veluti quoties peregrina ex arbore vulso (tur.
Surculus inseritur trunco, natura duorum
Fungitur, & mixto concrescit virga bacillo:
Sic sponsus sponsæ se chara immersit imago,
Fecit amor duo corda unum, duo corpora in unum
Traxit, & idem est sensus, & est quoque spiritus idem.

Dicite